


Johann Friedrich Fischer

Supplementorum Commentarii Ioh. Vorstii De Hebraismis Novi Testamenti


Specimen 3 : Orationi Latinae In Schola Thomana : Prid. Kal. Ianuarias A. C. MDCCLXXXIII ; Hora V. Vespertina Habendae Praemissum

Lipsiae: Sommer, [1793]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn820174068>

Band (Druck) Freier  Zugang







~~1107~~ 6

L. C. - 1107

L. C. 1107. 1.2.3





SUPPLEMENTORVM
 COMMENTARII IOH. VORSTII
 DE
HEBRAISMIS NOVI TESTAMENTI
 SPECIMEN TERTIVM
ORATIONI LATINAE
 IN SCHOLA THOMANA

PRID. KAL. IANVARIAS A. C. CICIDCCLXXXIII

HORA V. VESPERTINA

HABENDAE

P R A E M I S S V M

AB

IOH. FRIDER. FISCHERO

RECTORE

SVETLEMENTORVM
COMMENTARII ION VORSTHE
DE
HERRAISMS NOVI TESTAMENTI
SPECIEM PRIMUM
ORDINOM LATINE
IN SCHOLA THOMANA

PRIO. PAP. IANUARIAS A. C. FIDELISSIMO
GRO. V. VESTERTINA
HABENDIS
P. R. A. E. I. S. V. M.
DE
ION. TRIO. E. R. S. C. H. E. R. O.
P. R. O. G. R. A. M. M.

Q. B. V

Quum anno superiore opera nostra, atque studium, versaretur in recensendis, adaugendisque, copiis libelli Leusdeniani de Hebraïsmis Noui Testamenti, quem, quasi riuum, a libro Vorstiano, tanquam a fonte, deductum esse constat: quo nostra mens continua, diuinaque, vnus, eiusdemque, laboris gravitate debilitata, et fracta, vicissitudine commentationis reficeretur quodammodo, atque recrearetur; instituimus hoc anno in libellis publice propositis, relicta ad tempus operis Vorstiani cura, Platónis dialogum, qui inscribitur Cratylus, et in Latinum e Graeco conuertere, et annotationibus qualibuscunq; illustrare. Nunc autem admirationis, amorisque, rerum diuinarum, quo

pectus fenile totum incensum flagrat, reuerti stylum ad ornandum, perficiendumque, volumen, quo complexa est doctrina Ioh. Vorstii propemodum omnia orationis Hebraicae genera, quorum vestigiis commentarii Evangelistarum, Apostolorumque epistolae, impressae comparent, non tam iubet, quam cogit. Etenim ego certe quidem operam eorum, qui vel singulorum verborum, quibus scriptores diuini vsi sunt, notiones, vel reconditas, et obscuras, vel ambiguas, et implicitas, idoneae linguarum veterum scientiae auxilio, ita explicarent, et definirent, expromerent, et illustrarent, vt origines quoque earum, et causae, apertae paterent, eorum studiis, qui quam plurimos librorum humanorum locos deprauatos, impeditosque, solertiae ope expedirent, praesentiaque ingenii corrigerent, longissime praeponendam esse semper iudicaui.

Et numerus quidem eorum nominum, quibus a scriptoribus Noui Testamenti vim nouam, et Graecis inauditam, tributam videmus esse, inuitatu Hebraicorum nominum, quibus scirent cum Graecis eiusdem notae nominibus eam intercedere necessitudinem, vt notionem aliquam cum illis, eamque fere primam, et propriam, haberent communem, augeri multis aliis, praeter ea quae nuper persequuti sumus, recte potest. Dolores enim, quos puerperae in enitendo ferunt, a Latinis

nixus

*nixus*¹, etiam *nixae*², ab Hebraeis *ניחה*, et a Graecis *ᾠδίνες*, nominantur. Certe Pollux³ verbo *ᾠδίνειν* subiunxit verbum *τίχτειν*, et in lexico Suidae, Etymologicoque magno⁴, traditur, *ᾠδίνα* esse *τὴν ἐκ τῆς τοκετῆς ὀδύνης*, vt Theodoretus⁵, cuius verba idem ille Suidas in glossarium suum transtulit⁶, *ᾠδίνας* docet dici *τὰς πρὸ τῆς τοκετῆς τῆς τικτέσης ὀδύνας*, et Theophilus in praeclaro illo, quod ad Autolyicum misit, opere⁷ nomini *ᾠδίν* interpretamenti loco verba *ἢν πάσχεισιν ἐν τῷ τοκετῷ αἱ γυναῖκες* adiunxit. Quae quidem vocabuli interpretamenta quam vera sint, et elegantia, non modo ipsorum scriptorum Graecorum, vt Homeri⁸, Euripidis⁹, Platonis¹⁰, aliorumque, auctoritas declarat, qui ita illud vsurpasse reperiuntur, sed etiam doctrina conditorum versionis Veteris Testamenti Alexandrinae loquitur, qui nomen Hebraicum

1. Vid. Gellius 12, 1.

2. Gloss. vet. *ᾠδίνες Nixae*. Haec enim glossaria, non modo multa verba, multos verborum significatus, ab recentioribus Lexicographis non notatos, sed etiam formas multorum nominum vulgo ignotas, seruarunt. Conf. Christi. Daumii dissert. de causis amissarum quarundam Latinae linguae radicum, qua syntagma variarum differtat. rariorem auxit Graeuus p. 447. ff. Forma autem nominis *nixa* similis est formae nominum *νιχα*, *ноха*,

aliorumque. Et vt nomen *nixa* verbum *nixari* peperit, ita etiam ad des translatum est, quae parientibus praeesse credebantur. vid. Nonius Marc. p. 57. Merc. et interpp. Ouidii ad Metamm. 9, 294.

3. Onom. 3, 49. 4, 208.

4. v. *ᾠδίνες*.

5. ad Pl. 116, 3.

6. v. *ᾠδίνες θανάτου*.

7. 2, 32. p. 174. Volf.

8. Il. λ', 271.

9. Phoen. 368.

10. Theaet. 6.



cum חבליים nomine isto Graeco reddidere ¹¹, ita, vt Paulus quoque Apostolus ¹² eos sit eodem in genere duces sequutus. Accedit, quod, et Hebraei nonnunquam hos dolores appellarunt חבלי יולרה ¹³, et Graeci ¹⁴ ὠδίνας γονῆς, atque ὠδίνας τόκων. Et quum nixus parturientium sint fere vehementer laboriosi; quum dolores earum reperiantur fere in primis acerbi, atque acres, adeo, vt Homerus eos loco ante laudato verissime πικράς ὠδίνας dixerit: quis non videt, quam scienter is, qui oracula Esaiæ in Graecum conuertit, eosdem dolores, et nixus, assumpta circumscripserit eloquutione, ita, vt nomen חבל verbis ὁ πόνος τῶν ὠδίνων explicarit? ¹⁵ Sed quia hos dolores, et nixus, sequi fere sponte solet partus ipse: placuit Graecis, nomine ὠδίνες sic vti, vt *partum* significaret. Nam in glossario Hefychiano glossæ ὠδίνες, quæ fieri potest vt e Callimachi hymno in Iouem ¹⁶ sumpta sit, adscriptum extat glossema τοκετοί: et, vt in epigrammate quodam Heraclidæ ¹⁷ Aretemias Cnidia, Euphronis coniux, dicitur ὠδίνων δὲ ἀμοιβὸς γενέσθαι, hoc est, *peperisse, parens extirrisse*, ita apud Pausaniam ¹⁸ Aërope legi-

11. Esai. 13, 8. Ier. 13, 21.

12. 1. Thefl. 5, 3.

13. Hof. 13, 13.

14. Lycophron Cassandr. 942.
1198.

15. c. 66, 7. Hefychius, et ex
eo Phaurinus: ὠδίνες πόνοι,

ἀλλήλοισι.

16. v. 29. Idem Hefychius: ὠδίνων κλημάτων, τοκετῶν.

17. Anthol. 3, 12. 56. 6. p. 488.
Lubin.

18. 8, 44. p. 692. Kuhn.

legitur efflasse animam ἐν ταῖς ὠδίσι: quae quidem verba recte verti *in partu*, inter pariendum, possunt, quum puer, quem Aërope enixa sit, saluus, atque incolumis, ex utero matris euasisse perhibeatur: quomodo verba כִּכְחָלֵי legi in Esariae oraculis¹⁹ videntur. Poëtarum autem, qui meminissent, foetus nixibus edi, ea fuit, neque sane insipiens, et temeraria, audacia, vt matres iufferint filios suos, et filias, maximeque eas, quas laboriosis se nixibus edidisse ostendere vellent, ὠδίνας dicere. Pindarus quidem Pitanen canit²⁰ κρύψαι παρθερίαν ὠδίνα κόλποις, id est, Euadnen, quam a Neptuno compressa pepererat: et apud Euripidem in Phoenissis²¹ Iocasta mater Oedipum, filium suum, πόνον ὠδίνων, hoc est, ὠδίνας, vocat, vt Clytaemnestra apud Aeschylum in Agamemnone²² Iphigenian, filiam suam, Φιλτάτην οἱ ὠδίνα. Atque hanc poëtarum Graecorum felicem audaciam, quae tamen ingeniiis Hebraeorum, aliarumque orientis ciuitatum, deberi videtur²³, imitatus interpret libri Iobi vxorem eius ita loquentem fecit sponte²⁴, vt liberos ipsa suos εἴς κοιλίας ὠδίνας, καὶ πόνους, dixerit. Hos igitur significatus nomini ὠδῖνες scriptores Graeci veteres ipsi tribuisse reperiuntur. Nam recentiores sophistae, pro studio

19. c. 26, 17.

20. Olympion. 6, 51.

21. v. 30.

22. v. 1426. f.

23. Vid. Iob. 39, 3. et ibi Schultensius.

24. c. 2, 9.



studio audaciae, atque insolentiae, orationis suo, idem vocabulum transferre etiam ad ingenii foetus ita instituerunt, ut ei casum secundum nominum *γλῶσσα, λόγοι*, aliorumque, fere adiunxerint*). Hebraei vero etiam mala, et incommoda, aerumnas, et calamitates, inopinatas quasvis, easque fere grauissimas, atque summas, et internequinas, comparare cum doloribus parturientium ita solebant, ut poëtae quidem verbis nomini *יחבלים* iunctis adderent interdum verba *כמו אשה לרר* 25. Huius igitur consuetudinis loquendi, Hebraeorum auctoritatem sequuti Matthaeus, et Marcus, dolores, quos puerperae in enitendo ferunt, iussere imagines esse calamitatum atrocissimarum. Quum enim Iesus persecutus esset orationē calamitates Iudaeorum maxime orbi impendentes, e quibus, tanquam signis, collegere Apostoli certissime possent, moenia urbis Iudaeorum non minus, quam aedem, breui destructum iri, atque euersum: emisisse eum Euangelistae referunt vocem hanc, *πάντα δὲ ταῦτα ἀρχὴ ὠδίνων* 26, et *ἀρχαὶ ὠδίνων ταῦτα* 27, hoc est, *haec calamitates omnes, haec mala, erunt similia doloribus, quos puerperae ante partum ferunt, vel, omissa ima-*
gine,

* Vid. Himerius orat. 18, 3. 25. Vid. Ier. 13, 21. coll. 1.
p. 708. eclog. 10, 3. p. 176. et Theff. 5, 3.
ibi Vernsdorfius. 26. Matth. 24, 8.
27. Marc. 13, 9.

gine, *bae calamitates, quamuis magnae, et atroces, tamen nondum erunt summae, et atrocissimae.* Nam intellegi debere his in vocibus verbum ἔσαι, vident facile omnes, neque dubitari recte posse puto, quin ἀρχὴ ὠδίνων, et ἀρχαὶ ὠδίνων, ex Hebraica ratione, pro ἀρχόμενοι ὠδίνες dictum sit. Ut igitur hic nominis ὠδίνες vsus, quum ita ponitur, vt calamitates in primis atroces, et graues, etiam internecinas, declaret, quem iam a doctoribus veteris ecclesiae doctissimis, vt Chryostomo, et Theodoro, quamuis alieno loco, tamen scienter, obseruatum esse video ²⁸, Hebraicus est, non Graecus: ita plane apertum, atque certum, esse arbitror, Lucam quoque eo actuum Apostolorum loco ²⁹, quo exposuit orationem a Petro ad Iudaeos festo pentecostali Hierosolymis habitam, *vincula, et laqueos, ὠδίνας,* inuitatu linguae Hebraeorum, nominasse. Hebraei enim nomine חבלים etiam *funes, vincula, retia, atque laqueos,* significarunt: quae quidem vocabuli notio ab hominibus sermonis Hebraici peritissimis prima, et propria, ponitur ³⁰, ita, vt lexicographi, auctoritate inuentoris signorum vocalium adducti, nomen singulare חבל, et חבלא, ab altero חבל, et חבלא, temere separasse videan-

28. Vid. Suicerus thes. eccles. v. ὠδίν p. 1594. To. 2. edit. pr. 29. c. 2, 24.

30. Vid. Schultensius ad Iob. 39. 6. p. IIIIO, et Beza ad Act. 2, 24.

deantur. Sed iidem Hebraei morti, atque inferis, attribuerunt *laqueos*, et *pedicas*, quibus capti, impeditique, mortales ita tenerentur, vt expediri inde, atque liberari, nunquam villo modo possent. Hi laquei, hae pedicae, inferorum, atque mortis, a Dauide in hymno³¹, quem, reportata a Saulo, caeterisque hostibus, victoria, cecinit, חבלי שאול, et מוקשי מות, sed in alio carmine³² חבלי מות, et מצרי שאול, dicuntur. Sic vero satis apparet, nomina חבלים, et מוקשים, esse vocabula idem sentientia. Quod quidem quum videret pro doctrina sua interpres Graecus commentariorum Samuelis nescio quis: Aquilae³³ enim non minus, quam Symmacho, ³⁴ placuit nomen חבל vocabulo σχοινίον reddere: verba Dauidis haec, ³⁵ חבלי שאול סכני קדמני מוקשי מות, ita explicauit, σχοινία ἄδρα ἐκύκλωσάν με προέφθασάν με πέδαι θανάτου. Haec verba, quae in versione Latina vetere sic expressa sunt, *funes inferni circumdederunt me: praeuenerunt me laquei mortis*, leguntur hodie, inferta tamen ante verbum προέφθασάν particula καὶ³⁶, in exemplo versionis septuagintauiualis Complutensi, quod aliis quoque in locis verba aliorum interpretum exhibere

31. 2. Sam. 22, 6. Pf. 18, 6.

32. Pf. 116, 3.

33. Iob. 40, 20. Prou. 5, 22.

34. Ecclesi. 12, 6.

35. 2. Sam. 22, 6.

36. Etiam Montefalconius in reliquiis Hexaplorum Origenianorum edidit, καὶ προέφθασάν με: sed coniunctio καὶ haud dubie aduenticia est.

bere pro verbis eorum, qui vulgo septuaginta vocantur, nouimus: sed in caeteris editionibus pro σχοινία ἄδς scriptum extat ὠδῖνες θανάτου, et σκληρότητες pro πέδαί. Vt autem nomen θανάτου e libro carminum Davidicorum³⁷ a grammaticis appositum, stulta librarium sedulitate, locum nominis ἄδς occupasse videtur: ita interpretem ipsum facile intellectu est pro מקשי legisse משקי, quod nomen a verbo השק ductum esset, atque adeo nomen הכלים de doloribus accepisse, exemplo interpretis odarum Dauidicarum, ³⁸ qui illud referri videret ad nomen מצרים, quo significari putaret pericula, κινδύνος. At quum הכלי מות sint laquei mortis; quum carminum Dauidis ea sit ratio, vt hemistichia cuiusque versus constent verbis fere idem valentibus: sane in promptu est, Dauidem nomini מצרים hanc tribuisse loco illo potestatem, vt laqueos, et pedicas, δεσμά, πέδας, παγίδας, indicaret. Quis enim nescit, verbum צרר respondere verbo δέειν? et nec verbum מצא a laqueis, et tendiculis, alienum esse, quis non vider? Certe idem ille interpres in hymno duodeuicesimo ³⁹ ὠδῖνας retulit ad παγίδας, ita, vt dubitari vix possit, quin nomine isto idem significari voluerit, quod interpres commentariorum Samuelis supra laudatus nomine σχοινία indicauit.

B 2

Hanc

37. Pf. 116. 3.

38. Pf. 116. 3.

39. v. 6.



Hanc vero ipsam notionem subiecit, vt ante demon-
strauimus, nomini ὠδίνες, auctoritate vsus loquendi He-
braeorum, Lucas loco commentariorum de Apostolo-
rum rebus eo, quo retulit vocem Petri hanc, ὃν ὁ Θεὸς
ἀνέστησε, λύσας τὰς ὠδύνας τῆς θανάτου, καθότι ἐκ ἦν
δυνατὸν, κρατεῖσθαι αὐτὸν ὑπ' αὐτῆς, hoc est, quem [Iesum
Nazarenum] *deus ab inferis excitauit, ita, vt diluerit vincula*
mortis, vincula quibus ipsum mors impeditum tenebat:
quippe quum fieri non posset, vt ipse ab ea teneretur. Sed
pro τῆς θανάτου in multis libris antiquis scriptum legi-
tur τῆς ἄδης quo in numero fuere codices illi, quos ver-
sionis Latinae, 40 et Syriacae, 41 auctores expressere. Iam
etsi, et res ipsa, et consuetudo loquendi Hebraeorum,
vtramque scripturam ferunt; id quod ex iis, quae su-
pra disputata sunt, intellegi potest: tamen quum lectio
τῆς θανάτου plurium, meliorumque, codicum fide con-
firmata reperiat, eam recte alteri scripturae τῆς ἄδης ab
editoribus Noui Testamenti praelatam esse arbitramur.
ὠδύνας autem θανάτου esse, non *dolores*, verum *vincula*,
laqueos, *mortis*, viderunt iam, pro solertia sua insigni,
atque docuerunt, interpretes librorum diuinorum erudi-
tissimi, vt Beza, 42 Hacspanius, 43 Deilingius, 44 aliique.

Quae

40. Interpres Latinus habet, *sol-
luis doloribus inferni.*

41. In versione Syriaca est.

ܘܕܝܢܝܢ ܠܘܕܝܢܝܢ ܠܘܕܝܢܝܢ

42. ad Act. d. 1.

43. nott. philologg. ad Matth.
13, 32. p. 89. P. 3.

44. Obseruatt. SS. P. 3, 37.
p. 267. ff. edit, pr.

Quae quidem eorum sententia quam vera sit, et gra-
vis, praeter usum loquendi Hebraeorum, quem supra
attigimus, res sane clamat ipsa. Homo enim mortuus,
sed ab inferis reuocatus, recte dici vinculis mortis so-
lutus, doloribus mortis liberatus vocari nullo modo,
potest. Et verborum λύειν, atque κρατεῖσθαι, ingeni-
um est eiusmodi, ut optime conueniant ad vincula, ad
dolores non item. Nam κρατεῖσθαι quidem dicuntur
ii, qui capti, et prensi, ita tenentur, ut effugere, at-
que elabi, non possint: sed ita tenentur ii, qui sunt
vinculis inenodabilibus, inexplicabilibusque laqueis, im-
pediti. Et quanquam verbum λύειν a natura dolorum
non omnino abhorret, quippe qui vinciant quasi, et
constringant, vel corpus, vel animum: tamen illud non
reperio ab vilo scriptore antiquo ita iunctum esse no-
mini ὠδίνες, ut formula λύειν ὠδίνας effret *soluere, tollere,*
dolores. Leguntur quidem in versione septuagintaviri-
libri Iobi 45 verba, ὠδίνας δὲ αὐτῶν ἔλυσας sed ὠδίνας
λύειν ibi est *foetus edi iubere,* idem, quod ὠδίνας ἐξαπο-
σελλεῖν, quae formula eodem in loco 46 sic usurpata in-
venitur.

45. c. 39, 2. Sic apud Himerium
orat. 7, 4. p. 516. legitur τὰς ὠδί-
ρας, καὶ κνησαμένη, καὶ λύσσα·
ut Latonae, Apollinis, et Dianae,
matri, dicuntur αἱ ὠδίνες κυθῆνας
apud eundem orat. 18, I. p. 704.

46. c. 39, 3. Sed verba ὠδίνας
δὲ αὐτῶν ἐξαποσελλεῖς videntur esse

verba Theodotionis, qui ea posue-
rit pro verbis τῶν ὠδίνας δὲ αὐ-
τῶν ἔλυσας, a librariis alienum in
locum translatis. Quae quidem
coniectura nostra etiam Colbertini
codicis auctoritate, quem Montefal-
conius inspexerat, confirmatur.



venitur. Neque vero pertinere huc locus Lycophronis 47, a Kypquo laudatus 48, censendus est, vbi Rhea Iouem nixibus edidisse dicitur, Ὠδῖνας ἐξέλυσε λαθραίας γονῆς. Etenim nomen Ὠδῖνας non cohaeret cum verbo ἐξέλυσε, ad quod pronomen σφε, quod praecedit 49, referendum est, immo a praepositione κατὰ, quae intellegi debet, pendet. Ex his igitur, quae hactenus a nobis de varia, multiplicique, nominis Ὠδῖνες potestate disputata sunt, satis apparere speramus, scriptores Novi Testamenti eo significasse, et *vincula, laqueos, et calamitates grauissimas*, easque inopinatas, exemplo nominis Hebraici **לִבְנֵי**, quod scirent alias quasdam notiones cum Graeco illo nomine communes habere.

Hunc autem in numerum non dubitamus quin etiam nomen ληνός referri debeat. Hoc enim vocabulo, quod proprie nomini Hebraico **לֵב** respondet 50, ab ipsis scriptoribus Graecis appellari solet *torcular, et calcatorium* 51, hoc est, *vas, labrum, amplum, in quod, tempore vindemiae, uuae a vitibus defectae coniiciuntur, ut calcentur, et quod habet prelum, quo uuae calcatae premantur*. Atque ita positum nomen ληνός extat in Apocalypsi Iohannis,

47. Cassandr. 1198.

48. ad Actt. 2, 24.

49. v. 1196.

50. Vid. οἱ ὁ Esai. 63, 2. Ioël.

3, 13. Etiam Aqu. et Sym. nomine

ληνός Hebraicum vocabulum **לֵב** reddidere Pl. 8, 1. vbi pro **לֵב** **לֵב** legerunt **לֵב**.

51. Pollux 7, 151. ὁμοίως δέ, ὡς ἐμπάτηντα [αἱ σαφυλαί], ληνός.

hannis⁵², addito etiam casu secundo nominis οἶνος⁵³. Sed calcatorio apud Hebraeos, aliasque ciuitates priscas, subiecta erat fossa, in quam succus vuarum expressus e torculari deflueret. Haec fossa ab Hebraeis quidem proprie יקב dicitur⁵⁴: sed septuaginta Veteris Testamenti interpretes eam, exemplo Graecorum rei rusticae scriptorum⁵⁵, ὑπολήνιον⁵⁶, et Latini *lacum vinarium*⁵⁷, vel simpliciter *lacum*⁵⁸, aut *vinarium*^{*}, vocant. Sed quum calcatorii, et lacus vinarii, tanta esset coniunctio, vt, neque torcular sine lacu, neque lacus sine torculari, cogitari posset: accidisse intellegitur, vt, non modo Chaldaei, atque Syri, lacum, et calcatorium, vno, eodemque, nomine מעצרת appellarint, sed etiam Hebraei vocabulum יקב fungi nonnunquam vicibus nominis נג iusserint. Certe in libro Iobi⁵⁹ leguntur verba haec, יקבים ררכו ויצטמו, quae in versione Latina vetere sic reddita inueniuntur, *qui, calcatis torcularibus, sitiunt*: cuius

νός. Hesychius: Ἀγνός. ὅπῃ σαΦυ-
λῆ πατῆται, vel, vt in Lexico
Phaurini legitur, ὅπῃ αἱ σαΦυλαὶ
πατῆνται. Gloss. vet. Ἀγνός Tor-
cularium, torcular, torcolare, calca-
torium [Pallad. R. R. 1, 18. 1.].
vid. Anacreon odar. 52, 4. Geo-
ponn. 6, 11. 3, 4. 6, 13. 3.

52. c. 14, 19. f.

53. c. 19, 15.

54. Ier. 48, 33.

55. Vid. Geoponn. 6, 11. 3.

6, 13. 3.

56. Vid. Esai. 16, 10. Ioël. 3,
13. Hag. 2, 17.

57. Colum. R. R. 12, 18. 3.
Sed ap. Pallad. R. R. 1, 18. est
*lacus, qui ad excipienda vina hinc in-
de depressi sunt.*

58. Vid. Tibul. 2. eleg. 3, 36. et
eleg. 5, 86. Ouid. Fast. 4, 888.

* Gloss. vet. ὑπολήνιον *Vinarijs.*

59. c. 24, 11. coll. Esai. 63, 2.



ius versionis auctor etiam in Esaiæ oraculis ⁶⁰ pro verbis כִּיבֵּרֵי habet *in torculari*, quæ tamen haud scio, an Graecus interpres rectius explicarit verbis εἰς τὰ ὑπολήνια. Verbum autem כִּיבֵּרֵי in eos, qui calcant vuas, atque adeo torcularia ⁶¹, ita cadit, vt hi homines ab Hebraeis simpliciter כִּיבֵּרֵי dicti sint ⁶², vt πατῶντες ⁶³, et οἱ πατῶντες ⁶⁴, et πατηταί ⁶⁵, etiam ληνοβάται ⁶⁶, et οἱ ληνοβατῶντες ⁶⁷, a Graecis, atque a Latinis *calcatores* ⁶⁸, et *torculatores* ⁶⁹. Itaque quum Matthaeus videret, Syros, et Chaldaeos, nomine Κηρυενο, quo proprie *calcatonium*, ληνός, πατητήριον ⁷⁰, significaretur, transferre etiam ad lacum torcularium instituisse; quum non ignoraret, nec Hebraeos ipsos dubitasse nomen כִּיבֵּרֵי interdum nomine כִּיבֵּרֵי commutare: sibi quoque licere putauit, praesertim praeuentibus septuaginta alterius Testamenti interpretibus ⁷¹, in locum nominis ὑπολήνιον substituere

nomen

60. c. 16, 10.

61. Vid. Threnn. 1, 15. Nehem. 13, 15.: vbi οἱ ὁ habent πατῶν ληνός, et ληνόν, vt Iohannes Apoc. 19, 15. Nam Graeci dicunt fere πατῶν τὰς βότρυας, et πατῶν σαΦυλήν. vid. Anacreon odar. 52, 5. f. et Liban. p. 138. A To. 1. Morel.

62. Ier. 25, 30. coll. Esai. 16, 10. 63, 2.

63. Anacreon odar. 17, 14.

64. Geoponn. 6, 11. 2. 4.

65. Hefychius: Πατηταί οἱ τρα-

πηταί. Gloss. vett. Πατητήης Calcatōr. vid. οἱ ὁ Esai. 63, 2.

66. Gloss. vett. Ληνοβάτης Calcatōr, torculatōr. vid. Himerius orat. 6, 3. p. 500. orat. 21, 6. p. 738. Vernsd.

67. Sym. Ier. 25, 30.

68. Calpurn. ecl. 4, 124.

69. Gloss. vett. Torculatōr ληνοβάτης.

70. Gloss. vett. Πατητήριον Torcular.

71. Ier. 48, 33. Prouu. 3, 10. Gloss. vett. Ληνός — lacus.

nomen ληνός. Id enim fecit eo euangelii sui loco ⁷², quo Iesus de patre quodam familias, qui confenerit vineam, eamque sepibus cinxerit, perguit dicere, καὶ ὥρυξεν ἐν αὐτῷ ληνόν. Haec vero verba facile apparet expressa esse e verbis Esaiæ istis ⁷³, כּוּ כצח כרי-סגו. Iam, non solum verba כצח, et ὥρυξε, ostendunt, sed etiam nomen Hebraicum כרי docet, Euangelistam nomini ληνός tribuisse potestatem nominum ὑπολήνιον, et προλήνιον, quorum hoc apud interpretem oraculorum prophetæ, illud apud Marcum Euangelistam ⁷⁴, legitur.

Atque eiusdem notae vocabulum est nomen μνημόσυνον. Hoc enim nomine Graeci quidem scriptores ita utuntur, ut significet *monumentum* quoduis, hoc est, id, quo memoria rei alicuius, personaeue, conseruatur, quo animus reuocatur ad memoriam alicuius rei, vel personae: quod etiam μνήμα, et μνημεῖον, appellatur. Neque enim tantum in Herodoti libris de Rhampsinio, rege Aegypti, haec leguntur ⁷⁵, ὃς μνημόσυνα ἐλίπετο τὰ προπύλαια τὰ πρὸς ἐσπέρην τετραμμένα τῷ Ἡφαισεῖς, ut Aretemias, Euphronis vxor, alterum puerum, quem

72. c. 21, 33.

73. c. 5, 2.

74. c. 12, 1.

75. 2, 121.



quem pepererat, in epigrammate quodam Heraclidæ sepulcrali ⁷⁶ μνημόσυνον πόσιος vocat, sed etiam grammatici veteres nomina μνήμα, et μνημεῖον, nomine μνημόσυνον interpretati sunt ⁷⁷. In libris vero Noui Testamenti hoc ipsum nomen ita vsurpatum inuenitur, vt *memoriam*, et *recordationem*, declaret: quo in genere Graeci ipsi nomina μνήμη, et ἀνάμνησις, adhibere consueverunt. Nam quum Maria, Lazari, et Marthæ, soror, caput Iesu, Bethaniae in triclinio Simonis leprosi accumbentis, vnguento perfudisset, et Apostoli, ob hanc vnguenti pretiosi iacturam scilicet, mulierculæ molesti esse coepissent: Iesus, quum laudasset facinus feminae, quæ corpus morientis præparare sic sepulturae voluisset, vocem emisit, audientibus Apostolis, hanc ⁷⁸, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι εἰ κηρυχθῆ τὸ εὐαγγέλιον ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ, λαληθήσεται καὶ ὃ ἐποίησεν αὕτη, εἰς μνημόσυνον αὐτῆς, id est, *mibi credite, quocumque terrarum pervenerit fama doctrinae, atque adeo mortis, et sepulturae, meae, ibi memoria etiam huius facinoris feminae sermonibus*

76. Anthol. 3, 12. 56. 8 p. 488. Lubin.

77. Hesychius, et ex eo Phauoginus: Μνήμα μνημεῖον, μνημόσυνον. vid. Hom. Odyf. Φ', 40. et Anacreon epigr 8, 2. 16, 2. Ammonius v. μνημεῖα. Μνημεῖα μὲν

γὰρ ἔλεγον τὰ μνημόσυνα. Etymol. M. Μνήμη, παρὰ τὸ μένω μνήμη, καὶ συγκοπῇ μνήμη· ὅθεν μνημόσυνη ἢ ὑπομνησις [vid Hom. Π. Θ', 181. et ibi schol. min.], καὶ μνήμα τὸ μνημόσυνον.

78. Matth. 26, 13. Marc. 14, 9.

bus usurpabitur, quippe quo declarauerit ipsa, atque testata sit, se credere, me esse saluatorem hominum, qui salutis eorum causa breui moriturus esset. Atque e tali horum verborum interpretatione extitisse videtur lectio εἰς μαρτύριον αὐτῆς, quae fuit in codicibus quibusdam commentariorum Matthaei, vt Stephaniano quarto, vnoque eorum, quos Beza inspexerat. Nam quum grammatici ad nomen μνημόσυνον e libris doctorum veteris ecclesiae nomen μαρτύριον adscripsissent: librarii glossema pro glossa in ordinem recepisse videntur. Certe Theodoretus in praeclearo illo opere, quod inscribitur Ἑλληνικῶν Παθημάτων Θεραπευτικῆ, verba Matthaei ante proposita, haud dubie e memoria, et qua sententiam, sic laudauit 79, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι, ὅπως ἂν κηρυχθῆ τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας, κηρυχθήσεται καὶ ὁ ἐποίησεν ἡ γυνὴ αὐτῆ, εἰς μαρτύριον αὐτῆς. Neque vero alia praeditum potestate nomen μνημόσυνον apud Lucam in actibus Apostolorum extat, vbi apparitorum dei aliquis cum Cornelio centurione ita egisse refertur 80, αἱ προσευχαί σου, καὶ αἱ ἐλεημοσύναι σου, ἀνέβησαν εἰς μνημόσυνον ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, hoc est, *preces tuas, et liberalitatem, ornare decreuit deus*. Hebraei enim vocabulo

C 2

[177]

79. II. p. 164. 27. Sylb.

80. c. 10, 4, coll. v. 31.



זכרון proprie quidem de *monumento* vsi sunt⁸¹: sed quia monumenta memoriam, et rerum, et personarum, manere iubent, neque interire sinunt, idcirco eadem civitas instituit idem illud nomen etiam ita vsurpare, vt ipsam rei alicuius, et personae, *memoriam* significaret⁸². Quae quidem Hebraeorum elegantia quum non fugeret Iudaeos Alexandrinos: nec ipsi dubitarunt in versione librorum Veteris Testamenti Graeca nomini μνημόσυνον alteram illam notionem Hebraici nominis subiicere⁸³; ita tamen, vt hoc nonnunquam vocabulum nominibus μνήμη⁸⁴, et ἀνάμνησις⁸⁵, reddiderint, sicut nomen זכר, quod ipsum quoque de *monumento* poni⁸⁶ sci- rent, nomine μνημόσυνον sic explicarunt, vt hoc partes vocabuli μνήμη ageret⁸⁷. Hac igitur septuaginta alterius Testamenti interpretum auctoritate excitati Euangelistae nomine μνημόσυνον significari *memoriam* iussere, praesertim quum non nescirent, in lingua Syrorum nihil esse nomine זכרון isto in genere vsitatus. Haec autem vocabuli μνημόσυνον notio, quae ex Hebraeorum

81. Ex. 12, 14. 28, 12. 30, 16. Ios. 4, 7.

82. Ex. 17, 14. Nehem. 2, 20.

83. Ex. d. 1. Nehem. d. 1.

84. Eceles. 1, 11. 2, 16.

85. Numer. 10, 10.

86. Ex. 3, 15. Pl. 135, 13.:
vbi tamen inc. interpret pro זכר
habet ἢ ἀνάμνησις σα.

87. Ex. 17, 14. Pl. 34, 17.: qui
locus laudatur a Theodoro EE.
III. O. 5. p. 70. 14. Sylb.

fermonē in dialectum Alexandrinam venisset, in lingua Graecorum communi ita celebrata reperitur, vt grammatici antiqui etiam nomen *μνήμη* nomine *μνημόσυνον* explicare instituerint⁸⁸. Atque haec nunc quidem de vsu vocabuli *μνημόσυνον* Hebraico in libris Noui Testamenti, pro instituti nostri ratione, disputata sunt.

Nos vero, Collegae optimi, perendie, hora quinta vespertina, in auditorium classicum scholae nostrae ita conueniemus, vt deo O. M. gratias, quas possumus, agamus maximas pro omnibus bonis, atque ornamentis, quibus nos ab eo, discipulosque nostros, ad vnum omnes non minus, quam disciplinae nostrae fautores, atque adiutores, hoc anno cumulosos esse laeti recordamur, numenque eius pii imploremus, velit proximo quoque anno, et nostra, et adolescentium fidei nostrae, atque curae, commissorum, studia iubere esse omni in genere quam fructuosissima. Huius pietatis nostrae interpretes publici erit humanissimus, optimusque, adolescens, IOH. ORTHOBIVS KNECHTELIVS, *Golma Misnicus*, auditor classicus: cuius orationem Latinam fauentes, atque ita, audiemus, vt etiam patronorum, et curatorum, omninoque omnium euergetarum, scholae nostrae salutem,

vni-


88. Hesychius: *Μνήμη μνημόσυνον.*





vniuersaeque ciuitatis, et ecclesiae, et academiae, Lipsien-
 sis res omnes, prouidentiae dei, curaeque, peculiari
 quam diligentissime commendemus. Scripsi Lipsiae in
 schola Thomana a. d. III. Kalendas Ianuarias A. C
MDCCCLXXXIII

L I P S I A E
 E X O F F I C I N A S O M M E R I A














Adito etiam casu secundo nominis οἶνος ⁵³.
 o apud Hebraeos, aliasque ciuitates priscas,
 fossa, in quam succus vuarum expressus
 deflueret. Haec fossa ab Hebraeis quidem
 dicitur ⁵⁴: sed septuaginta Veteris Testamenti
 am, exemplo Graecorum rei rusticae scrip-
 πολήγιον ⁵⁶, et Latini lacum vinarium ⁵⁷, vel
 cum ⁵⁸, aut vinarium *, vocant. Sed quum
 lacus vinarii, tanta esset coniunctio, vt,
 ar sine lacu, neque lacus sine torculari, co-
 accidisse intellegitur, vt, non modo Chal-
 Syri, lacum, et calcatorium, vno, eodem-
 e מעצרת appellarint, sed etiam Hebraei
 יקבי fungi nonnunquam vicibus nominis תב
 erte in libro Iobi ⁵⁹ leguntur verba haec,
 יקבים, quae in versione Latina vetere sic
 iuntur, qui, calcatis torcularibus, sitiunt: cu-
 ius

Ληνός. ὄπρ σαΦυ-
 vel, vt in Lexico
 ὄπρ αἱ σαΦυλαῖ
 ff. vett. Ληνός Tor-
 r, torcular, calca-
 R. R. I, 18. 1.].
 dar. 52, 4. Geo-
 4, 6, 13. 3.
 f.
 53.
 ponn, 6, II. 3.

6, 13. 3.
 56. Vid. Esai. 16, 10. Ioël. 3,
 13. Hag. 2, 17.
 57. Colum. R. R. 12, 18. 3.
 Sed ap. Pallad. R. R. I, 18. est
 lacus, qui ad excipienda vina hinc in-
 de depressi sunt.
 58. Vid. Tibul. 2. eleg. 3, 36. et
 eleg. 5, 86. Ouid. Fasti. 4, 888.
 * Gloss vett. Τπολήγιον Vinarius.
 59. c. 24, II. coll. Esai. 63, 2-